



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

714. Quid sit circa beneficia resignata spectantia ad collationem solius Episcopi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

Quaestio 714. Quid sit circa beneficia resignata spectantia ad collationem solius Episcopi?

Respondeo: Capitulum Sede vac. tametsi horum beneficiorum resignationes recipere possit, cum succedat Episcopo in iis, quae spectant ad jurisdictionem Episcopalem, & rectam Episcopatus administrationem, exceptis casibus à jure expressis, inter quos non est dicta receptio. Barb. juris Eccl. l. 1. c. 32. n. 96. citans Zerol. in pr. p. 2. v. Capitulum. §. 7. Riccium in pr. aurea resol. 243. Sbro. de off. Vic. l. 2. q. 7. n. 13. &c. Castrop. loc. cit. n. 15. citans Felin. & Abb. in c. cum olim. de maj. & obed. Azor. p. 2. l. 3. c. 36. q. 3. Garc. p. 11. c. 3. n. 235. Pavin. de potest. Cap. Sede vac. p. 2. q. 2. num. 11. & 12. Paris. de resign. l. 7. q. 23. n. 20. Non tamen potest beneficia resignata conferre. Barb. loc. cit. Castrop. loc. cit. citans Azor. Paris. loc. cit. n. 19. citans Jo. And. in Clem. ult. de rerum permutatione. gl. penult. Sunt enim haec duo diversa, conferre, & recipere resignationes, potestque ad unum spectare receptio, ad alium, etiam inferiorem, collatio. Paris. nu. 30. Castrop. n. 16. Estque interdictum Capitulo conferre beneficia spectantia ad liberam Episcopi collationem, qualia esse non desierunt, dum vacant per liberam resignationem non factam in manibus Papae. Neque magis necessaria est Episcopo talis beneficium provisio, quam si vacaret morte beneficiarii. Castrop. cit. n. 15.

Quaestio 715. Quid potestatis circa collationem beneficiorum habeat Vicarius Capituli Sede vacante?

Resp. primò generaliter, in hoc illum plus non posse quam ipsum Capitulum; quia quidquid habet jurisdictionis & potestatis, quae Vicarius Capituli, id totum habet vel à Capitulo, vel à Metropolitano, dum Capitulum negligenter designare Vicarium. Et in primo casu habet jurisdictionem à Capitulo, non autem à Concilio Tridentino, cum Concilium solum mandaret designationem Vicarii, & per hunc exerceri jurisdictionem Capituli. Castrop. p. 29. n. 5. citans Garc. p. 5. c. 7. n. 32. Barb. de potest. Episc. p. 3. alleg. 54. n. 180. Suar. tom. 5. in 3. p. d. 7. §. 3. n. 13. In secundo autem casu, etsi Metropolitanus independenter à Capitulo voluntate concedat Vicario potestatem & jurisdictionem, majorem tamen ei concedere nequit, quam communem & solitam concedi à Capitulo; quia Metropolitanus non aliam concedit jurisdictionem Vicario quam Capitulum. AA. paulo ante citati; uti etiam ex eo patet, quòd dum jus Capituli suspensum est ob censuram aliquam, ed ipso etiam suspensa & impedita sit jurisdictio hujus Vicarii, non secus ac contingit in Vicario Episcopi. Castrop. loc. cit. citans Barb. Quarant. Garc. loc. cit. nu. 32. & apud eum Suar. ubi ante. contra Ugolin. tab. 1. de cens. c. 10. §. 2. n. 4.

2. Respondeo secundò: à tempore, quo designatus est à Capitulo Vicarius, collatio necessaria, puta confirmatio electorum, & institutio praesentatorum, fieri potest, & debet per dictum Vicarium; quia in loco Capituli fungitur jurisdictione Episcopali transiente in Capitulum. Barb. juris Eccl. l. 1. c. 32. num. 62. & 63. Mandat enim Trident. sess. 24. c. 16. Capitulo constituere Vicarium, qui totam jurisdictionem illius administret, seu statuit modum, quo Capitulum, transiente in se juris-

ditione episcopali uti debet, nempe per Vicarium à se designatum, & non per se ipsum. Garc. p. 5. c. 7. n. 6. & 28. Castrop. cit. n. 5. Dum aliàs de jure communi non tenebatur Capitulum, Sede vacante, deputare Vicarium, sed poterat per se exercere jurisdictionem. Barb. loc. cit. n. 28. citans Sbro. de Vicario Episcopi. l. 1. q. 16. num. 9. Quarant. v. Capitulum Sede vac. n. 1. uti & administratio jurisdictionis intra 8. illos dies, quos habet à vacatione Sedis Episcopalis ad designandum Vicarium, residet penes totum Capitulum. Barb. loc. cit. nu. 29. citans prater declarationem expressam S. Congregat. de 19. Sept. 1620. Zerolam in pr. Episc. p. 1. v. Capitulum. §. 3. Quarant. in summ. bullar. v. Capitulum Sede vac. Riccium in pr. for. Eccl. post resol. 505. in notab. de materia Vicarii Capit. &c. Sed neque posse modò post Trident. juxta declarat. S. Congreg. Capitulum Sede vacante se intromittere circa administrationem jurisdictionis reservando sibi aliquid; sed debere totam hanc administrationem liberè Vicario relinquere, ait Garc. loc. cit. n. 25. Quamvis addat, id non servari in aliquibus Capitulis, quae solent aliqua sibi reservare, & negare Vicario. Et n. 30. quòd si tamen de facto Capitulum der Vicario à se constituto limitatum mandatum, reservando sibi aliqua, non posse ea à Vicario exerceri.

3. Respondeo tertio: quoad collationes liberas, quae aliàs competunt Capitulo, etiam Sede plenà, non poterit se magis immiscere Vicarius ille, quàm Vicarius episcopi in collationes pertinentes ad eum; adeoque ad ea conferenda ad minimum egebit speciali mandato Capituli. Neque enim Vicarius Capituli ex sola designatione habet ulteriorem jurisdictionem, quàm Vicarius episcopi; adeoque non accipit ed ipso potestatem ad ea, quae in Vicario Episcopi requirunt speciale mandatum; cum etiam Concilium statuens eligendum Vicarium, non statuit, quòd is omnem Capituli jurisdictionem aut potestatem habere debeat, ut Castrop. loc. cit. citans Quarant. ubi ante, q. 2. Pavin. de potest. Cap. p. 2. q. 10. n. 17. Barb. cit. alleg. 54. n. 158. Garc. à num. 29. contra Anton. Genuen. & Gut. apud Garc. n. 28. Neque etiam dicta collatio beneficiorum libera competens Capitulo ullatenus spectat ad jurisdictionem, ut dictum supra. Plura de constitutione & potestate Vicarii Capituli alibi; vide tantisper Castrop. cit. p. 29. Garc. cit. c. 7. à n. 6. Barb. juris Eccl. l. 1. c. 32. à n. 28.

Quaestio 716. An, & qualiter, dum provisio libera beneficiorum spectat ad Capitulum privative, sive Sed: plenà, sive Sede vacante, vocandi sint Capitulares etiam absentes ad faciendam collationem praebendarum, sive beneficiorum?

Respondeo primò: sunt vocandi, si id commode fieri potest, v. g. quia non sunt valde remoti, & commode accedere possunt; nisi fortè consuetudo habeat aliud, nimirum quòd ad talia vocandi non sint absentes. Pirh. ad cit. de praeb. n. 71. juxta c. cum in Ecclesia. cit. eod. in 6.

2. Respondeo secundò: ubi dicta consuetudo non est, si non vocentur absentes, etsi valida sit collatio, modò duae partes Capitularium ex iis, qui praesentes esse voluerunt, & potuerunt, actu interfuerint, & major pars praesentium consenserit. Pirh. loc. cit. n. 72. citans Franc. in cit. c. n. 2. Absentes tamen illi non vocati agere possunt de contemptu,